AUTHOR:

SUCRO, WILHELM

TITLE:

DE TRAGICAE MUSAE...

PLACE:

MAGDEBURG

DATE:

1855

Master Negative #

93-81172-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Sucro, Wilhelm
v.2 ...De tragicae Musae natura generatim, Sophocleae autem imprimis arte atque praestantia. Abhandlung von Professor Dr. Sucro... Magdeburg, bei W. Heinrichshofen, 1855.
11 p. $24\frac{1}{2}$ cm.

At head of title: Programm des K.Domgymnasiums zu Magdeburg...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-17-93 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Programm

des

Königlichen Domgymnasiums zu Magdeburg,

zu Ostern 1855

herausgegeben

von

Friedrich Wiggert,
Director und Professor.

Inhalt: 1. De tragicae Musae natura generatim, Sophocleae autem imprimis arte atque praestantia. Abhandlung von Professor Dr. Sucro.

2. Schulnachrichten.

17.

Magdeburg, 1855.
Bei W. Heinrichshofen.

De tragicae Musae natura generatim,

Sophocleae autem imprimis arte atque praestantia.

Scripsit

Dr. Guilelmus Sucro,
gymnasii professor.

Prior pars.

De tragicae Musae natura generatim.

Quum abhinc quattuor et triginta fere annos, quam tunc dixi introductionem Sophocleam, in usum tironum scribere coepissem, eamque in quattuor capita digessissem, multa, hoc loco non commemoranda, impediverunt, quo minus id opusculum absolverem; neque tamen ne nunc quidem me ad finem id perducturum polliceri possum, quoniam, quae illo tempore collecta sunt, minus placent, ut fieri solet, at per otii brevitatem limae, ut ita dicam, subjici non queunt. Sic nunc admonitum, ut de ordine, quod dicunt programma proximi anni, perscriberem, necessitas me coegit, ut, quicquid haberem, in lucem protraherem, securus tamen de aequo collegarum judicio, quos, quum illa omnia ab initio in usum tantummodo tironum, civium imprimis primorum gymnasii ordinum, a me scripta sint, oblivisci nolim, et haec, tanquam in vulgus nota, non a me primum inventa, sed in illum, quem dixi, usum hinc illinc congesta digna vix esse posse, quae ipsi legant. Sed quod praeter collegas meos summopere venerandos esse possunt, aut qui ea minus nota sibi, sed jucunda, animo percipere velint, aut qui jam superiora illa mea manu tenentes et his se carere non posse existiment: ita haec instituenda curavi, ut alteris illis, sicut ipsis tironibus, sit opusculum, in loco separatae numerandum disputationis, ab alteris vero, continua sententiarum atque paragraphorum, quas parenthesis notis inclusas apposui, serie, superioribus adjungatur. His ipsis denique id quoque in mentem revocatum velim, quae hic scripserim, pertinere ad caput tertium introductionis meae Sophocleae, et esse tertiam eamque postremam ejus capitis partem.

Index rerum.

§. 1. (§. 128.)

Quae tragoediae atticae sit natura, quidque ea ex sensu antiquorum hominum maxime spectaverit, qui disquirere volet, is ne cogitatione praetermittat velim, priorem fuisse artem ipsam praeceptis, quae nulla omnino fuerunt, nondum invento, quod iis indigeret. Comparatis demum inter se, quae magis minusve placerent, caussisque ejus rei investigatis: quid rectum aut pravum esset, disputari coeptum est; unde artis disciplina quaedam paullatim exstitit. Hanc vero quis non videt, quippe rei difficillimae natura per humanam imbecillitatem non ex omni parte penitus perspecta, obnoxiam fuisse tot tantisque erroribus, ut ad hunc usque diem alia alio tempore opinio animos occupaverit, ex qua virtutes et vitia tragoediarum judicarentur. Quae quum ita sint, ipsa consulenda est rerum natura atque fontes illos et ipsi perscrutemur oportet, ex quibus disciplinarum auctores et arbitri praecepta sua omnia deduxerunt. Quod ut accuratius et ad intelligendum facilius fiat, ab universae poëseos dramaticae natura incipiendum est.

In *actione* aliqua *continua* exponenda omne *drama* verti, vel ipsum ejus nomen declarat. Vitae ipsius igitur imaginem recte hanc poësin dicas; nam ex vita omnia in ea desumta, ad vitam omnia relata vides; atque caussas simul in hac re habes mirae illius, qua omnes perfunduntur, animi oblectationis, quicunque ad rerum dramaticarum contemplationem accesserint. Atque omnis illa actio in contentione virium, in contraria tendentium, ita posita est, ut, ubi desint vires, ne deprehendatur quidem actio. Est enim naturae proprium, ut, quae vires insunt in corporibus (sunt autem in omnibus), eae secundum certas quasdam leges invicem se impugnent, atque inter se resistant. Hominis vero, ut qui non coeco regatur impetu, sed rationis particeps sit, liberaeque voluntatis habeat usum, longe aliam in hac re esse rationem apparet, atque ceterarum animantium, omniumque omnino rerum naturalium. Ille si quas exserit vires, libera existat contentio, necesse est; eandemque prae ceteris appellarunt actionem; quae ubi ad similitudinem rerum ab hominibus unquam gestarum *fingitur* tantum et arte componitur, recte etiam *fabula* dicitur. Vim ejus quidem, hinc intelligitur, latissime patere; sed duo potissimum genera actionis cogitanda sunt: alterum, quod ad oculos potissimum refertur, rerum implicatione, variis artibus, periculis insigne, eoque ipso commotissimum (Schaustück, Schauspiel); alterum, quod ad mentem magis cogitationemque pertinet, et animis varie affectis, spe ac laetitia exsultantibus, tristitia ac desperatione profligatis continetur (Lust- und Trauerspiel). Illud ut multitudinem magis delectat, ita hoc politiores sensus atque humanitatem magis eruditam postulat. Utrumvis vero spectas, in *duas* partes actio describenda est, *nodum*, i. e. ipsam illam virium contentionem, atque *eventum*, quem nodi solutionem sive actionis finem vocant.

§. 2. (129.)

Suprema fingendae actionis lex est ea, actio uti simplex et una sit. Censetur autem unitas actionis primum eo, ut jam ab initio nihil eorum omittere liceat, quae ad instituendam illam con-

tentionem requiruntur. Fabula enim suppeditet omnia spectatoribus, necesse est, quibus ita se ipsa quasi explicet, ut nulla re, extra ipsam posita, ad perspicuitatem indigeat; cavendumque maxime est, ne spectatori aliqua oriatur vel de loco ac tempore, quo quid fit, dubitatio, vel de personarum ratione, rebusque ejusmodi aliis. In contentione ipsa reperiuntor, quaecunque certam in se habeant plenamque rerum notitiam, neque ad prologorum perversitatem confugiendum est, quos, sive ex actorum numero unus, sive alius quis has vices sustineat, a contentione illa ideoque ab ipsa artis perfectae notione quam maxime alienos esse, nemo non videt. Deinde vero, ut unitas sit actionis, neque in media fabula fortuita atque aliena admisceantur, neque ultra nodi solutionem prolongetur fabula. Propositis enim, in quibus omnis versatur contentio, si quid interjicitur, ad actionem nihil pertinens, id omnino caussa efficiente est destitutum hominumque animos in varias partes male distorquet. Nodo autem actionis soluto quum actio ipsa finita sit, non modo nihil amplius exspectatur, sed etiam, quicquid sequitur, id non potest non animi commotionem summopere excitatam minuere. Apta est denique ex his, quae modo posuimus, unitas etiam temporis ac loci. Actio enim omnis quum caussarum effectuumque arctissimo nexu contineatur, consequens sit id oportet, quod antecedenti respondeat; neque igitur contentio, etiamsi quiescere interdum videatur, vere rumpitur, dummodo tempore, licet occulte, continuentur, quae in scena fiunt. Magis vero videndum est, ne loci mutatione repentina aliqua unitas turbetur actionis; quae res ut apud nostros neminem fere offendit, ita a natura ipsa tamen quam maxime abhorret; nisi in scena ipsa conspici possunt iter facientes, quicunque ad alium locum se conferunt. Quod quum fieri non facile possit, omnis actionis locus, in quo semel constitutus est spectatoris animus, idem maneat necesse est. Atque satis haec sunto de unitate tragoediae.

§. 3. (130.)

Diversa ab illa est *tractatio poëtica*. Quae quum unice ad *pulchritudinis* conformationem, sive ad animos *pulchre* commovendos referenda sit, videndum est, ut universa cujusque fabulae actio in ejusmodi re versetur, quae natura sua ad animos pulchritudine imbuendos idonea sit. Aestimanda quidem est haec res in singulis fabulis sensu spectatorum lectorumve, attamen insunt et in ea quaedam, quae cogitatione ac definitione comprehendi possunt. Pulchritudinis enim duo sunt fontes vel genera, formositas et sublimitas, ut et ipsa actio aut formosa esse possit, aut sublimis. Utrumque vero apte cum humani animi natura cohaeret. Duplex enim omnino est finis, ad quem omnes illius vires diriguntur, alter sensuum, alter rationis; ex eoque quum pendeat etiam omnis animorum commotio, eadem etiam in duas partes inter se contrarias abeat, necesse est. Sensus nimirum ubi vigent ac dominantur, ad formam maxime rerum voluptatemque animorum respicitur; nec quidquam magis hic agitur, quam ut aut absint omnino, quaecunque doloris aliquam vel moeroris aegritudinisque notam habeant; aut ut eadem lepido quodam mentis lusu in jocum hilaritatemque vertantur. Quod quum in dramate fit, formositas potissimum existit actionis, eaque quanquam paullo latius patet, quam ut comoedia una ac sola, quam vocant, ad eam referri possit*), tamen summam inter hanc et illam necessitatem intercedere nemo negabit. Est enim ridiculi, in quo comoedia ver-

*) Formosa quarum fabularum actio est, eas nunc latius patente dramatum nomine vocandas esse arbitratur Hermannus, atque ex hoc genere, addit, etiam Terentii fabulas esse, quae nullo pacto comoediis adnumerari possint.

satur, ea natura, ut cum ubique reperiatur, ubi res quaedam ita conjunguntur, quemadmodum conjungi non possunt, licet alia ratione optime congruant, per se et statim placeat et *ipsa sua forma* delectet. Debilitas igitur humana, quod saepissime fit, si in hanc repugnantiam cadit, id tamen non eo fit consilio, ut illa notetur, aut commiseranda hominibus proponatur, sed ut ipso illo sensuum lusu lepidam menti praebeat oblectationem. Alia vero sublimitatis ratio est; quae quum ad infinitam aliquam magnitudinem referatur, sensibus comprehendi non potest, sed ad solam mentis vim pertinet, ideoque voluptatem eam habet, quae ex infinitorum suprema conditione capitur. Atque hac pulchritudinis divisione ipsius tragoediae antiquae notio constituitur, ut *ea humana actio, quae sublimitatis sensum potissimum excitet, tragoediae nomen adsciscat.* Jam vero ii, qui in fabulis contendunt, quum homines sint, ea humanae naturae pars ad contentionem adhibenda est, in qua exprimi cernique pulchritudo possit. Itaque non nudae consiliorum deliberationes et frigida decreta inter se opponi possunt, sed iis tantum, quae *liberae voluntatis* sunt, studiis hominum, cupiditatibus animi motibus, in diversa tendentibus, res omnis agenda est. Istae autem res quoniam totae nituntur ingeniorum diversitate, siquidem alius alio magis valet in illis cupiditatibus coercendis et ad rationis-leges regendis, *moribus* opus est in fabulis, quo nomine eam ipsam rationem appellamus, quae inter studia cupiditatesque cujusque et voluntatis libertatem intercedit; eosque tales esse oportet, in quibus tam insignis in agendo vis conspiciatur, ut pulcre iis animus commoveri possit. Quod quomodo optime et aptissime fiat, quaeritur. Primum ex superioribus per se jam apparet, plures in fabula *personas* esse adhibendas, de quarum fortuna decernatur. Quanquam enim in uno etiam homine, sejuncto a caeteris et separato, virium esse potest magna contentio voluntatisque acerrima cum sensibus dimicatio, haec tamen eo aptior erit menti et ad animum efficacior, quo latius patet, quoque plures in proelium committuntur, in quorum concursu voluntatis imperium quantum sit, quantaque quisque valeat libertatis vi, certius cognoscitur. Deinde vero quum pulchritudinis natura haec sit, ut omnis rerum varietas ad unum quiddam ac totum apte conspiret, diversorum etiam ingeniorum cupiditates ita conjungendae ac conformandae sunt, ut habeant, quo singulae referantur. In quovis enim artis opere, ubi cogitationes variae expressae sunt, tale quid desiderat animus humanus, et quaecunque aguntur, eorum poscit vinculum; quod si non deprehenderit, quid totum sit, non potest cognoscere. Haec autem unitas longe diversa est ab illa actionis universae unitate. Neque enim ad rationis judicium spectat, sed ad sensum, atque in eo maxime posita est, ut earum rerum, quae pulchritudinis in hoc genere elementa sint, personarum igitur, a quibus quippe omnis fons fabularum, pulchritudinis etiam repetendus sit, aliqua ita emineat, ac prae ceteris ita ornetur extollaturque, ut hae quasi in ea contineantur, prorsusque ex ea pendeant. Principalis haec dicetur persona, qua nulla potest fabula carere. Neque vero perinde est, quam poëta prae reliquis ornandam putet; id maxime in hac re necessarium videtur, ut, quum summa sit in hac persona contentio, ex hac potissimum pulchritudinis sensus a spectatoribus percipiatur, neque solum pulchritudinis universae, sed ejus etiam quam maxime, quae propria cujusque fabulae est.

§. 4. (§. 131.)

Quae communis igitur fabularum dramaticarum natura sit, modo vidimus; restat, ut tragoediam prae illis paullo accuratius contueamur ac definiamus, quam totam *sublimitate* contineri supra

diximus. Atque priscorum hominum in hac re sensus ac judicium ex Aristotele optime cognosci potest, qui aetate iis proximus fuit. Is autem in libro de arte poëtica, cap. VI, notionem tragoediae ita exposuit, ut eam diceret esse *μίμησιν πράξεως οὐ δι᾽ ἐπαγγελίας, ἀλλὰ δι᾽ ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσαν τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν.* In humanis igitur affectibus commiseratione ac metu purgandis, i. e. conciliandis inter se cum summum poneret finem tragoediae antiquae, eam versari existimabat in insigni quodam facto, in quo praecipua conspiceretur fortitudo atque animi magnitudo, cujus contemplatione sublimitatis sensus quam maxime excitaretur. Est autem, ut vidimus, una voluntatis libertas, quae hominem supra omnes res, extra ipsum positas, longe evehit et sine qua illa magnitudo ne cogitari quidem potest. Quae infinita libertatis vis non expromitur, nisi agendo, neque pendet ab ulla re, imo, quo majora ipsi impedimenta objiciuntur, eo excellentior evadit et sublimior. Idque in omnibus ita fieri videmus animi facultatibus, iis potissimum, quae ad mores hominum pertinent; quae nisi in certamen vocantur cum rebus contrariis ac repugnantibus, otio facile torpescunt, certe nullam, quid valeant, quid ferre recusent, in se habent mensuram atque aestimationem. Quare in fabula, quae ad sublimitatem omnis spectat, videndum erat, ut illa vis quam maxime exerceretur malis perferendis, cum nullo vero in proelium committeretur, nisi quod aut par ei esset, aut adeo eminens, ut in eo oppugnando summa animi magnitudo enitere posset. Gravi igitur discrimine opus esse in tragoedia videbant, idque plerumque extra libertatis illius fines ponebant, ac necessitatis sive fati (*τοῦ εἱμαρμένου, τῆς Μοίρας*) nomine appellabant. „Fatum, inquit*) Cicero, appello, quod Graeci *εἱμαρμένην*, i. e. ordinem seriemque causarum, cum causa causae nexa rem ex se gignat; ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna.“ Aeternam et infinitam esse hanc necessitatem, patet; atque naturali per totum mundum pollere vi; quae stat sua cuique dies, quaecunque futura sunt, ab ejus imperio pendent, neque mutari unquam possunt; atque nemo non ex misero mortalium genere quum ei obnoxius sit, ipsos saepe innocentissimos et felicissimos sibi eligit, quibuscum certamen ineat, nullum quippe ante obitum esse beatum sinens. Verum enimvero acerrimum ab ea imperium in maleficos exercetur, scelerumque vindicandorum munus ita ei demandatur, ut eadem interdum etiam *Νέμεσις, Δίκη, Αἶσα* appelletur, Erinnyesque, tanquam poenarum exactrices, aut ei subjiciantur, aut eam gubernare dicantur. Atque hoc sensu dii etiam ei obnoxii sunt, si quidem et eorum malefacta, quippe quibus humanam imbecillitatem ac perversitatem aequiparent, ex aeternis naturae legibus puniri oportet. Quid? quod Zeus ex immutabili tantummodo Necessitatis sive Moerae arbitrio agere dici solet; quanquam alibi, ubi ipse Justitiae illius aeternae vices sustinet, non minus recte eam regere perhibetur; quam ipsam Numinis Supremi speciem, a philosophis demum omnibus partibus absolutam, primus, ut constat, Homerus proposuit, ita ut apud eum fatum omnino ex Jovis arbitrio pendeat, omnesque dii, ipsi fratres, ei obsequium praestent, Il. VIII, 17. 38. 440; IV, 52; XIII, 355; ab eoque puniuntur, Il. II, 580; XV, 117; VIII, 12; XV, 137.

De hac re autem quanquam non, uti hodie nonnullis videtur, ita sentiebant tragici veteres, ut fati necessitatem, quae illa mala adduceret, necessariam in tragoedia putarent, neque etiam ab Aristotele quicquam traditum est, attamen fato in plerisque Graecorum tragoediis suas esse partes, nemo infitiabitur; imo quum omnem hominum vitam fatis regi crederent, ideoque magna iis esset ubertas fabularum, in quibus insigne quoddam esset fatorum momentum, tanto magis, si hac opportunitate data usi non essent, mirandum foret, quo minus eos fugere potuit, mala, quae propter immutabilem fatorum legem evitari non licet, multo terribiliora esse iis malis, quorum aliqua tamen declinandi spes est relicta.

*) de Divinat. I. 55.

§. 5. (§. 132.)

Innotescit vero antiquis hominibus haec fati voluntas per oracula, vates, somnia, portenta; quae omnia quum non sine deorum aliquo numine edantur, recte deos fati, tanquam supremi omnium rerum moderatoris, ministros appelles, qui decreta et mandata ejus perferant, ut, qui ab his plectatur, iisque auctoribus in mala praeceps ruat, is et fati necessitate exagitari et affligi eodem jure dici possit. Divina illa consilia deinde ipsorum hominum ope, insciorum plerumque, imo invitorum, ad eventum perducuntur, atque sane, qui ea mala struunt, non timendum est, ne non exsequantur, quod divinitus jussi sunt facere, quoniam studia eorum non repugnare finguntur, sed consentire cum fati voluntate, eamque ob caussam, quicquid faciunt, id necessario fieri cogitandum est. Sublimitatis igitur sensus etiamsi gravitate rerum, quae geruntur, affectuum ardore, quibus agentium animi impelluntur, dignitatis denique humanae notione, quae ex magnarum virtutum exemplis intuendis percipitur, quam maxime augeri potest, ad excitandum eundem ac fovendum nihil tamen magis fere idoneum nemini non ex nostris hominibus videtur, quam humanae imbecillitatis cum indomito illo et aeterno fati numine dimicatio. Quam dimicationem in primam maxime cadere personam, consentaneum erat, quoque acrior ea, ideoque sublimior, existeret dimicatio, ponendum erat aliquod consilium, ad quod persequendum prima persona omnes animi vires haberet intentas, quodque tam fortiter et constanter sectaretur, ut nullis posset difficultatibus periculisque deterreri, ac pessima quaevis pati mallet, quam ab eo absistere. Cui consilio fingenda erat adversa fati voluntas, ita, ut aut vetare significaretur id, quod prima persona moliebatur, aut fieri jubere, quod illa maxime fugiebat. Fatum autem quum, quicunque ipsi resistat, malis frangere studeat ejus superbiam, poenasque infligat certissimas ei, qui contra aeternam deorum voluntatem peccaverit: et in media actione, et in actionis fine intelligitur tam immensas primae personae calamitates immittendas fuisse, ut iis undique se circumventam oppressamque videret. Quarum crudelitatem plerumque mitigare studebant poetae, quum vitiosi aliquid hujus personae moribus affingebant; aut temeritatis arrogantiaeque plenum ejus animum faciebant, quae vitia iis facile usu venire solent hominibus, qui integra semper omnium rerum suarum fortuna usi sunt; aut delicta omnino inducebant, sive quae ipsa perpetravisset persona primaria, sive quae a majoribus commissa essent; secuti scilicet in hac re vulgarem suorum opinionem, ad ultimam progeniem serpere iras deorum, neque exstingui unquam, nisi funditus deleta ejus stirpe, qui divinas leges migravisset. Hac ipsa vero malorum magnitudine quid ad commovendos sublimitate animos gravius et efficacius esse poterat?

Quo vehementius autem instabant mala, eo praestantior evadebat consilii humani vis, eo insignior admirabiliorque elucebat animi fortitudo; quod aut ita fiebat, ut mala in ejus, qui ea sustinebat, voluntatem, nullam exercerent vim, neque eam flectere ullo modo possent, aut ita, ut mala illa non fugienda, quae ferre cogeret Necessitas, animo ferrentur constanti, vel sponte etiam subirentur. Utriusque magnitudinis exempla quum mythologia Graecorum antiqua suppeditaret quam plurima,

ex ea potissimum materiem sibi sumsisse tragicos poetas, in qua elaborarent et vires suas exsererent, noli mirari. Mythi illi vero quomodo ex religione apti fuerint et ab epicis jam poëtis ita exculti et praeparati, ut artis specimina praebere potuerint quam nobilissima, non est, quod doceamus. Atque rebus illis omnibus quoniam ea lux simul antiquitatis dubia et incerta affulgebat, quae in miracula facile verteret, quaecunque in rerum natura sita sunt, sensui populari quantum illae arriserint et quam late per Graeciae terras pervulgatae fuerint, cum moribus et institutis singularum civitatium aptissime cohaerentes, dici vix potest. Nobiliora igitur omnia istis hominibus visa sunt, quae ex heroum aetate ad se perlata reperiebant et ipsis eorum peccatis erroribusque eo facilior libentiorque venia est data, quo magis eos libidinum ardore et virium robore supra humanam naturam eminere videbant; sic ut immanitate nihil fere tam conspicuum proponi potuerit, quin id summa omnes tunc temporis admiratione prosequerentur. Namque fabulae scelera non ad humanarum legum normam exigenda videbantur, sed coram deorum tribunali discutienda et condemnanda.

§. 6. (§. 133.)

Verum enimvero praeter sublimitatem duo alii sensus a tragoediae antiquae notione separari nequeunt. Recte enim videbant poetae, *imminentis* mali metu animos vehementius, quam conspectu *praesentis* moveri. Unde factum est, ut metum cum Aristotele in tragoedia requirerent. Cum metu autem conjuncta est miseratio. Nam cui metuimus, eum dolemus miserum fieri. Atque illum metum in animis hominum statim existere apparet, ubi primum illam libertatis cum Fato contentionem viderint. In qua si prima persona neque minis, neque malis ipsis a consilio, quod animo penitus infixum habet, deterreri se passa repugnat vehementius, acerbissimamque calamitatem sustinere non dubitat, dummodo tenax propositi manere et in suo conatu perstare possit, quis non majorum imminentium malorum agmen reformidet, a Fato ei infligendorum, usu quippe edoctus, in perniciem eum irruere certissimam, qui Fati decretis obniti audeat? Uterque ille sensus continuo igitur, alternis vicibus quasi fluctuans, commovebit omnium animos, usque dum actio finietur, nodique aderit solutio. Id ipsum vero fieri non potest, nisi ita, ut utraque vincat pars, libertas pariter atque Fatum. Libertas enim si non vinceret, non amplius esset libertas; de fato multo minus quaeri potest, propterea quod, si inferior e certamine discederet, non digna foret Necessitatis nomine, atque sic omnis peritura esset sublimitas. At qui tandem utraque vincere potest voluntas? Libertas sane vincit, quum fecit id, quod voluit, neque ulla re potuit ab incepto revocari. Necessitas autem, ubi, quas minata fuerat poenas, sumsit ab eo, qui patravit vel omisit, quod ipsa patrari omittive noluerat, itidem vicisse recte dicetur. Finis igitur contentionis in eo sit, necesse est, ut prima persona infelix sit, luatque poenam, servata tamen voluntatis libertate. Quo facto finienda est statim fabula, propterea quod sequi haud quicquam potest, quo sublimior sensus excitetur in spectatorum animis, et, si quid accidit finita jam dimicatione, id alienum est a fabula. Atque his omnibus ita peractis, quis neget, temperatos omnes effectus abire in summam mentis saluberrimamque tranquillitatem? Namque et cladem qui accipit, nunquam tamen admirationis expers discedet, dummodo invicto animo majori tantum necessitati cedere coactus videatur. Major vero fato quum ne cogitari quidem possit, generosissimam apparet mortem esse eam, quam quis cum fato contendens oppetit; atque ex hac re iis etiam, quae Aristoteles habet, haud exigua existet illustratio et affirmatio, siquidem timor et miseratio illa, salvo subli-

mitatis sensu in animis excitari non possunt, nisi hi ipsi sancta quadam numinis illius supremi veneratione ita tangantur, ut, qui tam misere succumbit, vicem ejus doleant quidem quam maxime, sed aegritudinis suae medicinam ex eo capiant jucundissimam, quod, quaecunque acciderint, ea divinitus accidisse, intelligant, et communem considerantes humanae naturae fragilitatem se suaque omnia superiori illi rerum ordini libenter ac pie summittant. Utque magna hujus rei et insignis quaedam ad mores hominum corrigendos vis esse solet, sic major etiam illa et evidentior tum erit, quum, qui fati necessitate opprimuntur, eos non immerito opprimi apparuerit; quod tragoediarum genus recte semper pro optimo habebimus. Namque bonos justis affici praemiis, malos vero scelerum suorum meritos dare poenas, id apud cujusque aetatis homines in conciliandis cum fortunae iniquitate animis, et ad pietatem conformandis, gravissimi, ut constat, momenti est, quippe qui, nihil omnino casu fortuito, vel coeco quodam impetu in rerum hominumque natura evenire, sed ex nutu quodam supremo pendere omnia, ad aeternasque aequitatis et justitiae leges dirigi, optime sic edoceantur.

§. 7. (§. 134.)

In his denique, quae adhuc de tragoediae antiquae natura diximus, sunt duae omnino res non praetermittendae, quae, quum ex illa satis aperte consequantur, multum sane ad distinguendum utrumque tragoediae genus, antiquum et recens, faciunt. Altera est in amoribus posita, quos nostrates in componendis suis tragoediis adeo non neglexerunt, ut ad eos omnia referri, nodumque ipsum iis contineri vellent; altera ad eventum fabulae pertinet. Amorum quidem vestigia in nonnullis antiquorum tragicorum dramatis exstare quum negari non possit, eorum tamen, quis non videt, aut eam esse naturam, ut ad libidinem magis, quam ad virtutem, spectent, atque in foedissima saepe scelera vertantur, quod in Phaedrarum, Medearumque exemplis quam maxime conspicuum est; aut, si quid in hac re ad nostrae aetatis mores expressum videatur, candidiores illos et divinis Jesu Christi institutis emendatos, id fati necessitate ita obscurari et imminui, ut salva operis concinnitate abesse prorsus possit. Luculentissimum hujus rei exemplum in Sophoclis Antigone habes, cujus quidem amor satis apparet, neque tamen aut disertis verbis declaratur, aut ita a poëta inducitur, ut rebus aptius pulcriusve inter se nectendis ulla ratione inserviat.

Jam vero, quod ad alteram illam rem attinet, perversa nonnumquam sunt hominum de tragoediae eventu judicia. Quum enim tragico nomine ea omnia appellare consueverint, quae terrorem animis incutere, eosque metu ac miseratione implere possint, recte quidem ipsos antiquos poëtas secuti, qui talia omnino prae ceteris tractanda sibi sumserunt, ut vidimus, perperam tamen id ad finem etiam fabulae retulerunt, neque ullam esse posse tragoediam putaverunt, nisi quae tristes haberet eventus. Qui si antiquas tragoedias diligentius inter se comparare voluissent, nullam earum omnino in moerorem et luctum, seclusis caeteris sensibus, abire, facile vidissent, quamvis nonnullae, praesertim quarum fragmenta tantummodo exstant, ad moestitiam solam planctusque in fine edendos spectare videantur. Imo multas, constat, laetissimo gaudere eventu, ex quibus praeter Euripidis fabulas quasdam Sophoclis Philoctetem potissimum, Oedipum etiam Coloneum, Aeschyli vero Eumenidas commemorasse juvat. Alia quidem nostrorum temporum ratio est, quae multum et hic

ex ea potissimum materiem sibi sumsisse tragicos poetas, in qua elaborarent et vires suas exsererent, noli mirari. Mythi illi vero quomodo ex religione apti fuerint et ab epicis jam poëtis ita exculti et praeparati, ut artis specimina praebere potuerint quam nobilissima, non est, quod doceamus. Atque rebus illis omnibus quoniam ea lux simul antiquitatis dubia et incerta affulgebat, quae in miracula facile verteret, quaecunque in rerum natura sita sunt, sensui populari quantum illae arriserint et quam late per Graeciae terras pervulgatae fuerint, cum moribus et institutis singularum civitatium aptissime cohaerentes, dici vix potest. Nobiliora igitur omnia istis hominibus visa sunt, quae ex heroum aetate ad se perlata reperiebant et ipsis eorum peccatis erroribusque eo facilior libentiorque venia est data, quo magis eos libidinum ardore et virium robore supra humanam naturam eminere videbant; sic ut immanitate nihil fere tam conspicuum proponi potuerit, quin id summa omnes tunc temporis admiratione prosequerentur. Namque fabulae scelera non ad humanarum legum normam exigenda videbantur, sed coram deorum tribunali discutienda et condemnanda.

§. 6. (§. 133.)

Verum enimvero praeter sublimitatem duo alii sensus a tragoediae antiquae notione separari nequeunt. Recte enim videbant poetae, *imminentis* mali metu animos vehementius, quam conspectu *praesentis* moveri. Unde factum est, ut metum cum Aristotele in tragoedia requirerent. Cum metu autem conjuncta est miseratio. Nam cui metuimus, eum dolemus miserum fieri. Atque illum metum in animis hominum statim existere apparet, ubi primum illam libertatis cum Fato contentionem viderint. In qua si prima persona neque minis, neque malis ipsis a consilio, quod animo penitus infixum habet, deterreri se passa repugnat vehementius, acerbissimamque calamitatem sustinere non dubitat, dummodo tenax propositi manere et in suo conatu perstare possit, quis non majorum imminentium malorum agmen reformidet, a Fato ei infligendorum, usu quippe edoctus, in perniciem eum irruere certissimam, qui Fati decretis obniti audeat? Uterque ille sensus continuo igitur, alternis vicibus quasi fluctuans, commovebit omnium animos, usque dum actio finietur, nodique aderit solutio. Id ipsum vero fieri non potest, nisi ita, ut utraque vincat pars, libertas pariter atque Fatum. Libertas enim si non vinceret, non amplius esset libertas; de fato multo minus quaeri potest, propterea quod, si inferior e certamine discederet, non digna foret Necessitatis nomine, atque sic omnis peritura esset sublimitas. At qui tandem utraque vincere potest voluntas? Libertas sane vincit, quum fecit id, quod voluit, neque ulla re potuit ab incepto revocari. Necessitas autem, ubi, quas minata fuerat poenas, sumsit ab eo, qui patravit vel omisit, quod ipsa patrari omittive noluerat, itidem vicisse recte dicetur. Finis igitur contentionis in eo sit, necesse est, ut prima persona infelix sit, luatque poenam, servata tamen voluntatis libertate. Quo facto finienda est statim fabula, propterea quod sequi haud quicquam potest, quo sublimior sensus excitetur in spectatorum animis, et, si quid accidit finita jam dimicatione, id alienum est a fabula. Atque his omnibus ita peractis, quis neget, temperatos omnes effectus abire in summam mentis saluberrimamque tranquillitatem? Namque et cladem qui accipit, nunquam tamen admirationis expers discedet, dummodo invicto animo majori tantum necessitati cedere coactus videatur. Major vero fato quum ne cogitari quidem possit, generosissimam apparet mortem esse eam, quam quis cum fato contendens oppetit; atque ex hac re iis etiam, quae Aristoteles habet, haud exigua existet illustratio et affirmatio, siquidem timor et miseratio illa, salvo subli-

mitatis sensu in animis excitari non possunt, nisi hi ipsi sancta quadam numinis illius supremi veneratione ita tangantur, ut, qui tam misere succumbit, vicem ejus doleant quidem quam maxime, sed aegritudinis suae medicinam ex eo capiant jucundissimam, quod, quaecunque acciderint, ea divinitus accidisse, intelligant, et communem considerantes humanae naturae fragilitatem se suaque omnia superiori illi rerum ordini libenter ac pie summittant. Utque magna hujus rei et insignis quaedam ad mores hominum corrigendos vis esse solet, sic major etiam illa et evidentior tum erit, quum, qui fati necessitate opprimuntur, eos non immerito opprimi apparuerit; quod tragoediarum genus recte semper pro optimo habebimus. Namque bonos justis affici praemiis, malos vero scelerum suorum meritos dare poenas, id apud cujusque aetatis homines in conciliandis cum fortunae iniquitate animis, et ad pietatem conformandis, gravissimi, ut constat, momenti est, quippe qui, nihil omnino casu fortuito, vel coeco quodam impetu in rerum hominumque natura evenire, sed ex nutu quodam supremo pendere omnia, ad aeternasque aequitatis et justitiae leges dirigi, optime sic edoceantur.

§. 7. (§. 134.)

In his denique, quae adhuc de tragoediae antiquae natura diximus, sunt duae omnino res non praetermittendae, quae, quum ex illa satis aperte consequantur, multum sane ad distinguendum utrumque tragoediae genus, antiquum et recens, faciunt. Altera est in amoribus posita, quos nostrates in componendis suis tragoediis adeo non neglexerunt, ut ad eos omnia referri, nodumque ipsum iis contineri vellent; altera ad eventum fabulae pertinet. Amorum quidem vestigia in nonnullis antiquorum tragicorum dramatis exstare quum negari non possit, eorum tamen, quis non videt, aut eam esse naturam, ut ad libidinem magis, quam ad virtutem, spectent, atque in foedissima saepe scelera vertantur, quod in Phaedrarum, Medearumque exemplis quam maxime conspicuum est; aut, si quid in hac re ad nostrae aetatis mores expressum videatur, candidiores illos et divinis Jesu Christi institutis emendatos, id fati necessitate ita obscurari et imminui, ut salva operis concinnitate abesse prorsus possit. Luculentissimum hujus rei exemplum in Sophoclis Antigone habes, cujus quidem amor satis apparet, neque tamen aut disertis verbis declaratur, aut ita a poëta inducitur, ut rebus aptius pulcriusve inter se nectendis ulla ratione inserviat.

Jam vero, quod ad alteram illam rem attinet, perversa nonnumquam sunt hominum de tragoediae eventu judicia. Quum enim tragico nomine ea omnia appellare consueverint, quae terrorem animis incutere, eosque metu ac miseratione implere possint, recte quidem ipsos antiquos poëtas secuti, qui talia omnino prae ceteris tractanda sibi sumserunt, ut vidimus, perperam tamen id ad finem etiam fabulae retulerunt, neque ullam esse posse tragoediam putaverunt, nisi quae tristes haberet eventus. Qui si antiquas tragoedias diligentius inter se comparare voluissent, nullam earum omnino in moerorem et luctum, seclusis caeteris sensibus, abire, facile vidissent, quamvis nonnullae, praesertim quarum fragmenta tantummodo exstant, ad moestitiam solam planctusque in fine edendos spectare videantur. Imo multas, constat, laetissimo gaudere eventu, ex quibus praeter Euripidis fabulas quasdam Sophoclis Philoctetem potissimum, Oedipum etiam Coloneum, Aeschyli vero Eumenidas commemorasse juvat. Alia quidem nostrorum temporum ratio est, quae multum et hic

ab antiqua aberraverunt simplicitate; siquidem ex hodiernis poëtis nemo fere se tragicae dignitati satis fecisse arbitratur, nisi ad unius vel plurium hominum obitum res suas deduxerit.

§. 8. (§. 135.)

His vero de tragoediae antiquae natura expositis nonnulla addenda sunt, quae tum ad fontes pertinent, ex quibus rivulos suos duxerunt veteres tragici, tum ad res publicas, quibuscum illa animorum oblectamenta connexa erant. Atque tragica argumenta initio fuisse *τὰ πάθη τοῦ Βάκχου* constat; his vero adjunxerunt postea poëtae mythorum copiam cum illis cognatam, donec omnem Graeciae apparatum, tum qui ex communi Graecorum fama manabat, tum quem singulae civitates suppeditabant, in suum usum converterant. In qua re facile negotium erat; ab epicis enim poëtis, Homero, Hesiodo, Cyclicis, cum plerasque fabulas collectas, concinnatas, excultas viderent, eos sibi potissimum duces delegerunt,*) quorum tamen non tam anxie semper premebant vestigia, quin et nonnulla interdum, pro sua indole, pro diversis, quae sequebantur consiliis, ac pro fabulae illius, quam ante oculos habebant, conditione mutarent. Utque Aeschylus ipse, quae erat animi ejus ingenuitas atque simplicitas, Homero, tanquam rerum omnium suarum auctori, summos defert honores, omniumque fere operum suorum adumbrationem ac delineationem ad ejus exemplar instituit, sic et Sophocles Euripidesque neminem magis quam Homerum secuti sunt, unde Sophocles, teste Suida, apud veterum nonnullos Homerus tragicus et Homerus vicissim epicus Sophocles dictus est**), orationem ejus potissimum ingeniumque imitati. Ex tragoediis vero eorum, iis certe, quas nostra aetas tulit, si quid conjicere licet, ex Iliade tragica magis argumenta, ex Odyssea satyrica (cf. Aeschyli Proteum, Sophoclis Nausicaam, Euripidis Cyclopem, et quae sunt reliqua) ab iis petita esse dicemus. Atque saepissime etiam inter se certaverunt in iisdem mythis tractandis, unde multae fabulae eorum commemorantur ejusdem nominis, ejusdemque argumenti, cujus generis exstant etiam nunc Aeschyli Choëphori, atque Sophoclis Euripidisque Electra; imo eidem mytho interdum unus idemque poëta aliter operam dabat, ut plures diversi nominis fabulae in eo effingendo versarentur, quod ab Euripide in Oreste atque Electra factum esse constat.

§. 9. (§. 136.)

